

Q. B. V.
EX PHILOSOPHIA PRIMA
DE

CAUSA MORALI

DIATRIBE I.

QUAM

PRÆSIDE
DECANO SPECTABILI
VIRO

Amplissimo atq; Excellentissimo,

DN. CHRISTIANO TRENTSCHIO,
Logicæ, & Phil. Prim. Professore Publico,
celeberrimo,

*Dn. Præceptore, Patrono, ac Promotore suo
summâ observantiâ colendô*

Censuræ Eruditorum publicæ subicit,
FRIDERICUS BESSELIUS,
Tilsâ-Prussus,
AUTOR ET RESPONDENS

*In Auditorio Majori, a. d. IX. Aprilis,
Horis antemeridianis.*

WITEBERGÆ
Typis JOHANNIS BORKARDI,
ANNO M. DC. LXIV.

~~70.~~

a. CXXII. 55.

. diss. A
2, 55

V I R O
PLURIMUM REVERENDO, CLARIS-
SIMO, DOCTISSIMO,
DN. M. CHRISTOPHORO SCHULTZIO
TEMPLI PAROCHIALIS APUD REGIUM
MONTEM ARCHIDIACONO FIDELIS-
SIMO, MERITISSIMO,

DOMINO MÆCENATI, PATRONO
MAGNO, ATQUE FAUTORI HO-
NORATISSIMO,

PRIMAM HANC
DE CAUSA MORALI
DIATRIBEN,

FRIDERICUS BESSELIUS,
IN ANIMI GRATI, PERPETUÆQUE
OBSERVANTIÆ
MONUMENTUM

D. D. D.



4p

I. N. J.
DE
CAUSA MORALI,

CAPUT I.

§. I.

Effe aliquas in rerum natura causas, cum sensu & experiētiā, tum ratione constat. Solem experimur, accessu, recessu suo, illa exsiccare, hæc inflammare, ista vitali spiritu animare. Araneam, formicam, alia animalcula, laborare videmus, illam ut muscas ex insidijs, hanc ut cibum in futurum tempus, captet. De actionibus humanis, naturæ, quid dicemus? Hæc enim & agit, & nihil frustra agit, *Aristot. lib. I. de Cæl. c. IV. lib. II. de Gen. An. c. IV. Naturam si quis putat inconsultò quicquam agere, ridebitur ab Aristotele, expelletur à Platone, Galeni jussu etiam vapulabit, inquit Scaliger Exer. 86. f. 1. p. 252.* Actiones autem si negari nequeunt, nec ipsæ negabuntur causæ. Rationes tot dari possunt, quot fermè res in rebus sunt universitate. Unam adducemus. Quicquid produci-
tur, ab alio produci-
tur: nihil enim à seipso fit, aliàs res esset, antequam esset, quod est contradictorium. Detur igitur oportet ἐξ ἀνάγκης causa, quæ influat τὸ εἶναι rei constituendæ. Ità Philosophus ex collatione motûs, πάντα ὑπὸ τινος, καὶ ὑπ' ἄλλου moveri deprehendit, *lib. VIII. Phys. IV. tex. 33.* Jam quicquid produci-
tur, fit aliquid, quod antea non erat, idq; non ex nihilo, sed ex aliquo præexistente, tum ratione δυνάμεως, tum ratione ἐντελεχείας, unde res omnes τὸ τί ἦν εἶναι suum sortiuntur.

§. 2. Atq; has quidem causas, variè scientiarum distinxere Doctores. Hinc causa per se & per accidens, causæ internæ & externæ prognatæ. Externas in efficientem & finalem dispescunt: efficientem in primam & secundam, mediatam & immediatam, naturalem & moralem distribuunt. De quibus verè illud Poëtæ enunciaveris: *Cui non dictus Hylas?* Et istud Ciceronis: *Pleni sunt omnes*

*Dantur cau-
se in rerum
natura.*

*Earundem
divisio.*

omnes

DE CAUSA

omnes libri, plena sapientium voces, plena exemplorum vetustas, *oratio*
pro Arch. c. 14. In Morali certè explicanda, cum parcius ejus apud veteres occurrat mentio, vehementer nostræ ætatis Philosophi laborarunt. Nec id sine insigni successu. Sunt tamen non pauca ab ijs, qui circa causam moralem occupati fuere hætenus, obscure, aliquando etiam minus accuratè, exposita atq; elaborata. Cujus rei curam, quoniam & nos suscepimus, eò enitemur, ut quantà fieri potest brevitatem & perspicuitatem, eandem evolvamus. Id quod commodius fieri non poterit, quàm si methodò Aristoteli frequentatà, rem ἐξυπαρχῆς primaque ab origine deducamus.

CAPUT II.

§. I.

*Origo cause
moralis.*

PRincipium motus, quò nomine ποιητικὸν αἴτιον designat Philosophus, omnes in universum causas ἐξοχῆ causalitatis suæ videtur superare. Unde non raro καὶ ἀντινομία Causa dicitur, tum Aristoteli, tum præsertim severioris notæ Philosophis, Stoicis, quorum subtile differendi genus non abs re prædicat Tullius lib. 3. de Fin. Bon. & Mal. c. 3. Et hi quidem occasionem indefumentes, unam efficientem pro vera causa venditarunt. Stoicis, inquit Seneca Epist. LXV. pag. 161. edit. Gronov. placet unam causam esse, id quod facit. Cui sententiæ non obscure idem subscribit. Quanquam autem satis refutata isthæc sit opinio, cum non minus ad ἁσίαν rei constituendam, causæ ἐξ ἑ & καὶ ὁ, tum δι' ὁ requirantur, quàm illa ὅθεν ἡ ἀρχὴ κινήσεως: nihilominus ἐνέργεια & actio πρώτως Efficienti, δευτέρως & καὶ ἀναλογίαν cæteris adscribenda causis. Cæterum cum actio illa vel separatim, vel conjunctim ad effectum concurrat, agnoverunt Veteres, dari quoddam principium motus à se invicem distinctum, idq; ἑ κατὰ συμβεβηκός. Nam, ut alios taceam, Aristoteles certè, unica Philosophia aquila, judiciò magni Casauboni Præf. Oper. Arist. ant. med. idem aliquando τῶν ἐναντίων causam esse, eruditè docet lib. V. Met. c. II. & II. Phys. c. III. tex. 30. Id quod exemplo κυβερνήτης, seu gubernatoris declarat. Absentia enim
hujus

MORALI.

hujus, naufragij, non aliter, atq; præsentia salutis causa est. *Ἀποφαι δὲ, καὶ ἡ παρσία, καὶ ἡ σπῆσις, αἴτια ὡς κινῶνται*, addit Philosophus. Et hanc interpretum nonnulli moralem vocarunt quædam: nonnulli causam per accidens. Posterius quidem *Aristoteles* respuere videtur, cum explicitè *κατὰ συμβεβηκός* has causas fieri affirmat. Et sanè absentia nautæ non tantùm causæ est *τῆς τῶ πλοῖς ἀνατροπῆς* per accidens, uti videtur nonnullis: sed & aliquò modò causa per se, quia obligatus erat, ut adesset, & sciebat, submersum iri navem, ut non malè animadvertit *Drejerus Diss. VI. in Phil. prim. §. 14. p. 103.*

§. 2. Unde apparet, quid respondendum sit ijs, qui Philosophum hujus rei notitiam habuisse, dubitârunt non mediocriter. *Vid. cl. Slevogt. Diss. Acad. Pract. VI. §. 1. p. 697.* Nam si id de nomine *moralis cause* intellectum volunt, assensum nostrum haud gravatè merentur, quandoquidem id certum cum primis est, neq; in prima, neq; in secunda Philosophia, *κατὰ τὸ νομα* mentionem hujus causæ, imò, confidenter loquendo, neque in universo *Aristotelis*, quod restat, opere, inveniri. Sin rem ipsam in iisdem libris occurrere negant, ab eorum partibus standum minimè est, utpote, quæ *διὰ ῥῆθην* sub Efficiente causa comprehensa atq; exposita reperitur *lib. V. (al. IV.) Met. c. II. tex. 2. & 3.* Unde etiam *ὁ ἰατρὸς, καὶ ὁ βελέυσας*, causa eidem dicitur, *ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς, ἢ αἰτίας*; quæ ad verbum repetuntur, *lib. II. Phys. III. tex. 29. & 31.* Numquid autem Medicus *Φυσικῶς* in Sanitatem ægroti, & consiliarius in effectum, per propriam entitatem, absq; interventu causæ Physicæ influit? Non arbitror.

§. 3. Cogitârunt itaq;, re benè intellectâ, de nomine hujus causæ, limatioris ingenij homines: donec in eo conventum est, ut *causæ moralis* appellatio, eidem injungeretur. Quisnam autem primus ejus nominis, in hoc genere causæ, autor atq; inventor sit, neq; ab ijs, qui ante nos in hac palæstra se exercuerunt, determinatum est, neq; tam facile, inter tot difficultates, definiti potest. Sanè errant in simili negotio, *Cicero in Orator.*

An Aristoteles eandem ignoravit?

Origo nominis incerta.

DE CAUSA

§. 10. *U* lib. I. Acad. *Quaest. c. 30.* alij, qui *Platonem*, sapientium præcipuum, *elogiò Minutij Felicis in Octav. p. 38.* idearum voce primùm usum esse contendunt; cùm ante eundem *Epicharmus Comicus* (ex quo plurima transcripsisse *Platonem*, *Alcuinus tradit apud Laërt. in ej. Vit. lib. 3.*) & alij eandem usurpârint. Quæ eum in finem adduxi, ut ostenderem, nihil certi in talibus rebus proferri posse. Nam & illud *κατατεταρρηκóτως* à Viro docto pronunciatum est, apud nullum ex Veteribus Philosophi interpretibus, hoc nominis reperiri. Dubia enim hæc magnoperè, & adhuc sub iudice, lis est.

Unde, & cur
sic dicta?

§. 4. Sed res tanti non est, ut *vadimonium* proptereà deferatur. Dicta autem hæc causa est moralis, non ex parte *effectus* aut *objecti*, quasi circa actiones morales, virtutes & vitia, *ἐλλειψιν* aut *ὑπερβολήν* virtutum occupetur: sed quodammodò ex parte *causa* & *influxus*, qui eidem ad bonitatem aut malitiam, laudem aut vituperium, moraliter imputatur. Neq; aberrant, qui à *consequente essentiali* eandem appellationem deducunt, quippe *ἐπόμενον* potius *ἔσιώδες*, quàm *τὴν ἔσιαν*, formalemque causæ moralis rationem, infert imputatio sapientium ad bonum vel malum, ut infra dicturi sumus *c. VI. §. 5.* Et hæc notione accepta *causa moralis*, non alijs duntaxat causis, sed & *libere* distinguitur. Hæc enim *naturali* causæ, quæ ad unum *τῶν ἀντικειμένων* determinata est, opponitur, & nihil est aliud quàm potentia rationalis (de qua *IX. Met. c. II.*) in actum deducta. At *moralis* non *naturali* dictò modò restrictæ, quam non ineptè, præeunte Philosopho *l. c. ἀνευ λόγου* appellare possumus: sed *physica* in latissima significatione, prout omnis causa *naturalis* nuncupatur, quæ effectum propriâ suâ entitate seu *ἀμέσως*, seu *ἐμέσως*, attingit, contraponitur. Et hæc ratione à diversitate modorum, quos complectitur, nunc *Dispositiva*, nunc *imperativa*, aliàs aliò nomine appellatur. *Vid. doctissimum Pictavorum Episcopum Castanauum Distinct. Phil. p. 15.*

CAPUT

MORALI.
CAPUT III.

§. I.

NON uno modo hæc de *causa moralis* tractatio institui & potest, & solet. Unde enata est controversia, quæ hodiernum animos Eruditorum in diversas trahit partes: *Ad quamnam disciplinarum propriè hujus consideratio in actu pertineat signato?* Ita informandus controversiæ status, ne incassum cum larvis pugnemus. Oportet enim *αὐτῶν π. Πηχεργεῖν* lib. I. *Sophist. Elench. c. XV. §. 17.* Itaq; sunt, qui ad *Naturalem Philosophiam*, ut universam causarum doctrinam, ita & hanc referendam esse ferio contendunt: *Ruvio in lib. 2. Phys. tr. 4. q. 1. n. 5. p. 184. Casus in Lap. Phil. l. 2. c. 3. q. 2. p. 236. Didacus Ortiz. in Conferent. Phys. tr. 5. § 6. Toletus in lib. 2. Phys. c. 3. q. 7. f. 58. § c. 6. q. 9. f. 66. Mendoza Diss. 8. Phys. f. 9. Abra de Raconis tr. de Princip. Diss. 2. sect. 2. art. 2. Arriaga Curs. Phil. Diss. VII. Phys. f. 11. n. 123. & post hos Job. Lalemandetius Diss. 4. Physic. part. 1. p. 139.* causarum doctrinam non infimum, imò primarium sibi locum inter Physicos vindicare, asserit. Idem, nisi me fallit memoria, *Oviedus in Controv. Phys.* alijque Recentiorum defendunt. Quidam, etsi non negent, alibi commodius hanc tractationem ventilandam esse, per se tamen & expresso, causarum doctrinam in *Logicis* suscipiunt, à qua *συνχύσει* non abit *Cl. Schæblerus in Topic. c. 3. n. 133. p. 244.* nec eximi potest *Keckermann. lib. 1. Syst. Log. c. 14.* id quod eidem jam olim objectum est à *B. Jac. Martini in Pralect. lib. 1. sect. 1. c. 14. p. 178.* De *Ramo* quidem ejusq; Sectatoribus, nota res est, eos omnem causarum contemplationem ad *Dialecticam* referre. Quibus paucis, gravissimè tamen respondit *Scherbicus dissert. adv. Ram. c. II. in Phil. Altdorpb. p. 36.* Hos novissimè insecutus est *Dav. Derodon. Philosophie in collegio Nemauser. si Regio Profefor,* qui divisionem causæ moralis & physicæ in *Log. sua Restit. part. 5. tr. 1. c. 4. art. 4. §. 29. p. 751.* inter *ἀποδείξεις* requisita explicuit. Etsi auguror, plenius eundem isthæc propositurum in *Physicis*: nam in *Metaphysica* ejusdem causarum tractatio protus exulat. Quod ipsum cum *Arriaga*, alijsq; *Neotericis* com-

Ubi tractanda causa moralis in actu signato?

A. 3

munè

DE CAUSA

mune habet. Rursus alij ad *moralem Philosophiam* hanc de *moralis* causa tractationem restringunt. Ex horum numero familiam ducit *Svarez. Diss. 17. Met. sect. 2. n. 6. p. 403.* qui causam *moralem* quatenus est per accidens physicè, non cadere sub scientiam: quatenus vero per se in genere moris, ad scientiam *moralem* spectare, non ad *Metaphysicam* affirmat. Eodem inclinant *Drejerus in Phil. prim. Diss. VI. §. 12. p. 101. & §. 14. p. 103.* *Slevogtius*, primarius hujus causæ Restaurator, cujus elegans hæc super re dissertatio, inter *Practicas Disputationes* relata est, *Diss. Acad. Pract. VI. p. 697.* alij. Neq; aliter, nescio quis, larvatus *Alethophilus Liborius in der Klage* causæ *mor. & Cond. sine-qua-non*, quem in scenam producit, Vir non vulgaris doctrinæ, *Cl. D. Jacob. Tentzelius Diss. Met. de Caus. Mor. prima §. 8.* censuit. Nam *p. 18. l. c.* definitionem divisionesq; causæ *moralis*, nullibi, præterquam in *Ethicis* proponendas, asserit. Et *pag. 20. Latitudinem*, inquit, *causæ in se, monstrat Metaphysicus; latitudinem causæ Ethicæ, sive moralis, explicat Philosophus moralis.* Deniq; nonnulli neq; ad *Physicam*, neq; ad *Logicam*, neque ad *Ethicam* pertinere ajunt causæ *moralis διδοxειν*, sed ad solam *Metaphysicam*.

Affirmatur de
Metaphysica.

§. 2. Postrema hæc sententia, ut incommoditatibus minús obnoxia, ita omnium optima videtur. Et hanc postmodum amplexus est ipse *Cl. Scheiblerus lib. 1. Met. c. 22. tit. 13. n. 138. p. 292.* scribit enim *l. c. c. 22. n. 1.* se cum *Topica* ederet commentaria, animum scribendi *Metaphysicam* non habuisse, proindeq; tum ibi prolixiusculè & *μεταφυσικοτέρας* de causis egisse, *pag. 272.* Sequuntur eandem *Fonseca lib. 5. Met. c. 2. q. 5. s. 1. Jac. Mart. Exerc. Met. 4. Theor. 5 p. 174. Bartholin. Enchir. Met. p. 22. B. Scharff. Met. Exemp. l. 2. c. 6. p. 129. & Theor. Transsc. Append. 3. ad Diss. 10. pag 665. Stalius comp. Met. c. 12. d. st. 3. p. 154. & in discurs. ad Tab. Met. VI. p. 54. Ebel. Met. Gen. diss. 24. s. 2. art. 1. p. 414. & in comp. Met. Diss. X. th. 10. p. 150. Geilfus. Contempl. 5. in Phil. prim. n. 56. Homburg. Diss. Met. 7. §. 33. Pruckner. comp. Met. part. Gen. c. 8. p. 47. D. Pet. Musæus lib. 1. Met. c. 10. p. 51. Tentzel. l. c. th. 12.*

MORALI.

Ab. 12. Watson. Synops. Phil. part. 3. c. 4. §. 1. p. 573. & alij, quorum nomina si recenserem,

Ilias est operis longa futura mei.

§. 3. Falluntur proinde, qui in actu signato, ad alias disciplinas moralem causam pertinere arbitrati sunt. Nam cum *ἐξ ἀδυνατιῶν* sit, unam rem eodem profus modo in diversis disciplinis tractari: fieri quoque non poterit, ut causa moralis ad distinctissimas referatur *ἁπλοῦς*, & quidem in momento utrobique; primo. Neque est, quod obvertant, *Aristotelem* eam in re se habere Ducem. Nam quod in Analyticis causae in actu signato non proponantur, vel ex suppositione *πεπρωμένων τῶν αἰτιῶν* lib. II. Post. An. c. XI. §. 1. clarum est. Et fatentur ipsimet, qui in Logicis de causis agunt, tractationem earundem absolutam & *πραγματικὴν* ad Metaphysicam: sed restrictam aut *νοηματικὴν* ad Logicam rejiciendam esse. De Philosophia autem naturali expedita adeo res non est. Nam videtur *Aristoteles* confundere tractationem causarum Physicarum cum Metaphysica adeo ut nonnulli, occasionem inde arripuerint, explicandi doctrinam de causis in Philosophia secunda, idque in actu signato. Sed errant. Philosophus enim *Φυσικῆς ἀκροάσεως* lib. II. c. III. tex. 27. non hoc agit, ut causas quatenus aliquid sunt de se cognoscibile, contempletur, hoc enim primae Philosophiae munus est; sed ut coarctatae sunt ad res naturales. Et sanè expressa haec est mens *Aristotelis*. Nam *περὶ τῶν εἰδῶν*, seu de forma, quaerit lib. II. *Phys. c. II. t. 26.* quousque Physici sit eandem cognoscere? Respondet, quod sicut Medicus nervum, aut *χαλκὸς χαλκόν* non *ἀπλῶς* considerat, sed ut sunt suae formae accommodata: ita Physicum *τὰ εἶδη*, ut faciunt ad generationem considerare. Et concludit aperte: *Πῶς δὲ ἔχει τὸ χωριστὸν, καὶ τί ἐστὶ, φιλοσοφίας τῆς πρώτης διορίσαι ἔστι.* Possumus & aliunde sumpto initio rem declarare. Peculiare est Philosopho *ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν*, ea quae sunt *σαφέστερα τῇ φύσει* deducere, lib. I. *Phys. c. I. tex. 2.* Posteaquam igitur principia rerum *συγκεχυμένα* speculatus est, methodo optimam ad *γνωριμώτερα* accedit, rerumque;

*Examinantur
opinionēs cō-
trariā, & re-
futantur.*

DE CAUSA

rerumq; naturalium causas ἀναλυτικῶς investigat. Quod ipsum ut eò feliciùs præstaret, iteratò à facilioribus exorsus, voluit priùs causarum genera distinguere, & protestari, res naturales omnia habere causarum genera, ideòq; omnes earum causas esse cognoscendas ad plenam illarum cognitionem; quæ verba sunt viri non minùs doctrinà, quàm nobilitate illustris, Jac. Zabarella in lib. 2. Post. c. 8. tex. 48. col. 1148. Rursus hæc non in universa sua latitudine, sed in ordine ad causas πρὸ τὴν γένεσιν τὴν φυσικὴν ut patet ex lib. I. de part. an. c. I. considerat. Ita causam Efficientem dupliciter distinguit lib. II. Phys. c. VII. tex. 71. in eam quæ κινῶμενα κινεῖ, & quæ est movens aliquod immotum, Priori Physicæ, posteriorem Metaphysicæ considerationis esse asserit. Quamvis & hæc in actu exercito, & κατὰ ἴ, non vero secundum essentiam ad Physicam referri possit, iudice Toletò ad b. l. fol. 70.

Rejicitur opinio, quæ ad Ethicam refert Causam moralem.

§. 4. Relinquitur ex his neq; causam moralem in actu signato, sedem sibi debitam in Scientia naturali agnoscere. Quod ad moralem Philosophiam per se & πρῶτως non pertineat, ex modo agendi claret. Nam cum actio moralis, aut laxè pro quacunq; operatione ἐναρέτω vel Φάυλη, aut pressius pro eo tantum, quod per lumen & vires naturæ agitur, teste Cl. Hornejo Phil. mor. lib. 2. c. 7. n. 11. p. 243. aut deniq; pro omni eo, quod conformitatem aliquam cum voluntate & lege Dei dicit, in Ethicis spectetur; neutro modo moralis causa in momento primo ad actiones & ἐνεργήματα hujusmodi concurrat. Unde vanum est, quod objiciunt, moralia morales duntaxat sibi vindicare Philosophos. Nam si hoc verum esset, & Physica omnia, Physicis forent relinquenda. Et hoc modo non levis error, aut μεταβάσις εἰς ἄλλο γένος committeretur, si Principis Scientiæ Doctor, causam Physicam veluti in propria sede explicaret in Metaphysicis. Sed Sophisticâ vocabulorum ὁμωνυμίᾳ, qui eâ ratione argumentantur, ludunt. Dupliciter enim aliquid causare dicitur, tum physicè, tum moraliter, qua de re Cl. Scal. comp. Met. c. XII. dist. 8. p. 162. & nos suprâ cap. II. §. 4. Hic loci eademum

MORALI.

demum nobis dicitur *causa* Physica, quæ per propriam Entitatem, non concurrente aliâ ejusdem ordinis ενεργεία, directè & per se esse influit in effectum: quomodo *moralis* eidem, in genuina significatione contradistinguitur, utpote quæ effectum propriâ virtute non attingit, *Cl. Slevogt. l. c. §. 5. p. 698.*

CAPUT IV,

§. I.

Colligere nunc non adeò difficulter licet, quâ ratione *causa* moralis sit definienda. Nam cum Aristoteles *lib. VI. Top. p. II. §. 7.* reprehendendam iudicet definitionem, εἰ μὴ δὴλ. ὁ τὸ ἐκ τῆς ἐναντίας λόγ. ἐκ τῆς λεχθέντος: apparet non posse melius eandem definiri, nisi in oppositione ad causam naturalem. Est ergo *causa* moralis *efficiens*, quæ interventu *causæ* physicae, per motionem realem qualemcunq; ad effectum producendum concurrat, qui eidem non secus ac si naturaliter egisset, prudentium iudicio imputatur. Alij aliter definiunt. Nos hunc in modum posthabitis plerorumq; definitionibus valdè lubricis, ὁσίαν & quidditatem moralis causæ exprimendam esse duximus, & quidem, quantum fieri potuit ὑπὸ τῆς ἀληθείας, & κατ' ἀλήθειαν. Nota aliàs in Scholis Peripateticorum distinctio est, duplicem rerum dari considerationem: λογικὴν & φυσικὴν. Illa ὡς τύπω καὶ δόξαν, ut fert τῆς περισηγορίας ἡμῶν, rem delineat, id quod παχυλῶς seu διαλεκτικῶς, definire vocant. Hæc proprium subiecti formalitatem ἀναλυτικῶς & κατ' ἀκρίβειαν exprimit. Quâ de re prolixè doctissimus *Piccartus Diss. 36. in Phil. Altdorpb. p. 366. seqq.* quibus adde clarissimum locum *lib. I. de Anim. c. I. tex. 16.* qui diligentiam eruditissimorum hominum hætenùs fugit.

Definitur
causa mo-
ralis.

§. 2. Cæterùm qui ad generalem causæ definitionem, reduci hæc in genere morum causa posset, pridem laborarunt Philosophi. Non desunt, qui ampliandam causæ definitionem vulgarem censuerunt, quos inter vir magni nominis *lib. I. Met. c. X. v. 4. p. 51.* eandem hæc ratione in ordinem redigere est an-
nisus: *Causa est principium, quod influit esse in aliud, & cui rectè imputatur aliud, etsi in illud non influat.* Frustra! Nam & defini-

Causam in ge-
nere non defi-
nivit Aristo-
teles,

B

tionis

tionis leges transgreditur, quas posuere summi Philosophi; vid. Aristotel. lib. VI. Top. cap. VII. §. 6. & Scal. in Reg. Phil. tit. 12. Reg. 12. pag. 300. & longè melius dicunt οἱ ἐξαειδυμένοι τὰς ἀρετὰς τῶν ἕτως ὀριζομένων, ut in simili re loquitur humanæ sapientiæ promuscondus, iudice Vossio lib. V. Instit. Orat. cap. 1. p. 289. Aristoteles, lib. I. Polit. c. IX. Unde observarunt Eruditi, nusquam causam à Philosopho, in univèrsam definitam esse. Neq; id mirum videri potest, cùm non una causarum sit acceptio, quarum distinctionem expedire, est Aristoteli rem κατὰ νόμον πολλῶν determinare. Οὐ γὰρ οἴονται καθολοί, καὶ κοινόντι λαβεῖν, ἐν τοῖς πλεοναχῶς λεγομένοις, inquit Theophrastus in Fragm. Met. c. IX. pag. 259. edit. Sylburg. & ipse Philosophus: Δεῖ δὲ μὴ λαμβάνειν, αἰτ, ὅτι τῶν πραγμάτων, ἐν οἷς τὰ ὑποκείμενα διαφέρει τῷ εἶδει, καὶ τὸ μὲν αὐτῶν ἔστι πρῶτον, τὸ δὲ δεύτερον, τὸ δὲ ἐχόμενον, ἢ τὸ ὁδύπαν ἐσθὲν ἔστιν, ἢ τοιαῦτα, τὸ κοινόν, ἢ γλίχρως, lib. III. Polit. c. I. Nam quod multi ex lib. II. Phys. VII. hanc exculpunt, esse id, quod responderi potest ad quæstionem, quæ obrem insit, ἀγνοίαν produunt τῆ ἐλέγχῃ. Non enim omnis causa, in omnibus scientijs, ad quæstionem διὰ τὴν reponitur, præprimis cùm finalis causæ κατ' ἐξουσίαν hæc sit natura & quæstio. Pejus autem illi Philosophiæ consulunt, qui ista tanquam Aristotelis dogmata exagitant, cùm in cerebellis, nescio quorum, sint prognata. Singulatim tamen Efficientis quidditatem ἀκριβεστάτως excussit Philosophus noster. Nihil enim aliud eidem est causa Efficiens, quàm principium primum mutationis aut quietis, lib. I. Met. c. III. lib. V. c. II. lib. II. Phys. c. III. tex. 29. lib. I. Post. c. XI. §. 1. lib. I. de Gen. An. c. I. lib. de Somn. & Vig. c. II. Principium autem γενέσεως, κινήσεως, μεταβολῆς, & ποιήσεως, quæ idem Philosopho significant, non unò agit modò. Aliquando enim directe & per se influit in effectum: aliquando v. suadendo, impellendo, applicando perficitur, id quod duobus exemplis τῆ βελούσαν, καὶ τῆ πάλῃς innui atq; indigitari dicuntur.

§. 3. Ad Efficientem itaq;, tanquam ad genus proximum moralem reduximus causam τὸ δὲ γένος βέλεται τὸ τί ἐστὶ σημαίνει, καὶ πρῶτον ὑποτίθει τῶν ἐν τῷ ὀρισμῷ λεγομένων, inquit

Causa moralis ad solam Efficientem restringenda.

§. 3. Ad Efficientem itaq;, tanquam ad genus proximum moralem reduximus causam τὸ δὲ γένος βέλεται τὸ τί ἐστὶ σημαίνει, καὶ πρῶτον ὑποτίθει τῶν ἐν τῷ ὀρισμῷ λεγομένων, inquit

MORALI.

inquit *Aristot. lib. VI. Top. c. V. §. 1.* Errant profectò, qui in Ethicis Justitiam, Temperantiam, μεγαλοψυχίαν, aliasq; speciatim virtutes, per habitus definiunt, cum adsit genus propinquius. *Species, inquit Jac. Martin. Instit. Log. lib. 1. c. 2. p. 50. per genus proximum, non remotum definienda est: quia proximum includit remotum actu, non contrà.* Et patet: quia si ad nullam aliam ex quadruplici causarum genere, (tot enim non plures, non pauciores agnoscimus) causam reduci potest, præterquam ad efficientem, hanc esse legitimam & adæquatam causæ moralis αἰτία, sponte relinquitur. Enimverò cum materia & forma κατ' ἔσω ad effecti constitutionem concurrat; illa quidem tum in fieri, tum in factò esse, unde & ὑποκείμενον dicitur, ex quo res fit, *lib. I. Phys. c. IX. tex. 82.* hæc in unione ad materiam, consistit, seu in eo, ut det esse composito; uti ex *Fonseca lib. 5. c. 2. q. 2. Suarez. disp. 15. s. 5.* & alijs docet *Cl. Sonevus Com. in lib. 2. Met. c. 2. p. 281.* neutro idipsum de causa morali dici potest modo. Quippe tantum abest, ut intrinsecè in essentiam rei influat moralis, ut potius per se effectum ne attingat quidem, ut diximus *cap. præced. §. ult.* Quod a. ad finalem referri nequeat causam, imò exiguam, aut ferè nullam, contrà quàm voluit *Stevogt. l. c. §. 7. p. 699.* cum eadem habeat cognationem, vel exinde apparet, quod causa moralis nunquam motionem suam absq; finali exerceat: finis ex adverso absq; morali non rarò. Tum in eo discrepantia cernitur, quod illa in motione reali per δύναμιν activam elicità ad productionem effectus à causa Physica consistit: hæc in actione κατὰ μετὰ Φορὰν, seu ut explicatiùs loquar, motione tali, quæ ex potentia activa non elicitur, sed ex cognitione duntaxat bonitatis, quam res secum involvere videtur. Atq; inde est, quod Philosophus *lib. I. de Gen. & corrupt. c. VII. tex. 55.* τὴν ὑγιειαν ποιητικόν τι esse negat, εἰ μὴ κατὰ μετὰ Φορὰν: & porro δεικτικῶς asserit, τὴν τῆς κινήσεως ἀρχὴν effectivam esse causam, τὸ δ' ἔνεκα ἡ ποιητικόν: quòd sine *lib. II. Phys. c. IX. tex. 89.* ἡ τῆς πρῶξεως, ἀλλὰ τὴ λογισμῶν principium dicitur. Ajunt quidem convenientiam illam in eo

DE CAUSA

sitam esse, quod quemadmodum causa finalis effectum non
 producit per entitatem suam, sed solummodo per apprehen-
 sionem sui, tanquam per rationem movendi: sic causam quoque
 moralem effectum suum causare non per se, sed quatenus cau-
 sam physicam ad eum producendum instigat. Verum enim-
 vero πρώτον ψευδῶς in eo latet; quod distinguenda non dis-
 tinguunt. Nam alia omnino est causalitas finis, alia causæ
 moralis. Finis movet ποιητικὸν αἴτιον per bonitatem sui ad
 seipsum amplectendum: ex quo gravissimæ illius controversiæ
 quæ animos Philosophorum tantum non destrinxit, decisio
 pendet: *Utrum idem & causa & effectus esse possit?* quæ de *Ari-
 stoteles lib. II. Post. c. XI. §. 5. & 6.* quò in locò mirum est, quàm
 se torqueat *Zabarella col. 1155. B. lib. II. Phys. c. III. tex. 30. lib. V.
 Met. c. II. & nos alibi.* At causa moralis movet agens natura-
 le non ad sui, sed ad alterius objecti apprehensionem. Quanti-
 vis non diffiteamur, dari aliqualem inter moralem & finalem
 causam, ἀναλογία, saltem in motione objectiva. Interim ma-
 net illud, utramque per entitatem propriam effectum non pro-
 ducere: sed finem quidem excitatione, instinctu, & motu agen-
 tis, modum agendi Efficienti determinare & præscribere: mo-
 ralem autem impellere atque instigare, non definire tamen:
 unde nec ab ea primum propriè dictus est motus à termino ad
 terminum, ut Peripatetici loquuntur, aliàs causa Physica absque
 morali agere non posset, uti non potest absque fine: quoniam
quit quid agit, propter finem, & à fine allectum & excitatum agit,
Scharff. lib. 2. Met. Exemp. cap. 8. can. 1. p. 157.

*Arriaga, et
 Derodonis
 sententia con-
 futatur.*

§. 4. Restat igitur ut ad solam Efficientem, restringendam
 esse causam moralem dicamus. Ex quo fundamento corrui-
 sententia *Roderici d. Arriaga*, Cancellarij & Professoris in Re-
 gia Pragensi Academia, (in cuius cursu Philosophico multa
 valde ingeniosa & rara dari, non abs re prædicat *Job. Car-
 muel lib. 2. Metalog. princ. 9. f. 71.*) *Disp. Phys. VII. Sect. XI. n.
 123. pag. 305.* quem secutus videtur *Dav. Derodon*, vir cætera sa-
 tis eruditus, dummodo ingenio suo nimium ne indulgeret,
Logic.

MORALI.

Logic. Restit. part. 5. tr. 1. c. 4. art. 4. §. 20. p. 751. qui genera-
 lem hanc, non specialem causæ divisionem esse judicant, in-
 deq; causam generatim in Physicam & moralem dividunt. Ma-
 le meo iudicio. Nam si est universalis hæc divisio, utiq; & ma-
 teriæ & formæ, & fini insuper competere & applicari poterit.
 Sed neq; ad materiam, neq; ad formam, aut finem referri po-
 test. E. non est universalis. Major nititur illò axiomate: ὅσα
 κατηγορεῖται τῆ γενεῆς, ὡς γενεῆς, καὶ τῶν ὑπ' αὐτὸ εἰδῶν κατη-
 γορεῖται, *Porphyr. Isag. c. VII. §. 2. Aristot. Categ. c. III. §. 1. lib.*
IV. Top. c. I. §. 2. Minor ex ijs quæ *preced. §. 3.* dicta sunt,
 liquidò constat. Quod autem *Derodon* causam moralem
 tripliciter distinguendam esse contendit, in *materialem, forma-*
lem, & Efficientem, nihil agit. Enimverò modum genuinum cum
 ἐπερσίους, actiones morales ab intellectu vero & voluntate re-
 ctâ provenientes, *D. Liebenthal. Exerc. Eth. IV. th. 3. p. 38.* cum
 causa morali, quâ tali, confundit. Excipit quidem (1) *mate-*
riam moralem vocari, ex qua fiat opus morale, v. c. si ex actio-
 ne Physicâ, tanquam materia, fiat opus honestum vel turpe, ex
 timore moderato fortitudo, ex præclaro facinore laus, & si
 quæ hoc genus sunt alia. At quid à veritate, & rectâ ratione,
 quid à definitione, quam ipse causæ assignat morali, aliud ius-
 dici & proferri potest? Requisitum ejus causæ necessarîum in
 definitione hoc posuerat, *moralem sc. causam in effectiv. m. non in-*
fluere. Unde argumentamur ἐξ ὀποθέσεως: Omnis materia
 realiter in effectum influit. Causa moralis non influit. E. non
 est materia. Deinde falsum est, actionem physicam materiam
 esse, ex qua fiat opus honestum, vel turpe; quandoquidem ex
 potentia actionis physicæ, tanquam materiæ substratæ, non
 educitur moralis causa, sed ipsa *materia moralis, est id, ex quo*
fit opus morale, ut verba *Derodonis* habent. Id quod satis confir-
 mant ea, quando timorem moderatum fortitudini, præclara
 facinora laudi, tanquam materiam supponit. Quid enim est
 timor moderatus, quid præclarum facinus, quàm efficiens
 quædam, seu ut loquitur Aristoteles, πρώτη μεταβολῆς αἰχμῆς

DE CAUSA

qui fieri autem potest, ut causa externa in internam, efficiens degeneret in materiam? Excipit (2) *formam* moralem, tum in actionibus, puta honestate, turpitudine &c. tum in personis consistere, ita, ut in his jus, dominium, dignitas officium, jurisdictio, nobilitas, obligatio &c. spectetur. At verò τῆς θύρας ἀμειψάμενοι, ut loquar cum Philosopho lib. II. Met. c. I. init. (sic enim legendum cum omnibus libris, non θήρας, ut contendit Erasmus, *luculento aureoque Adagiorum opere Loc. i. p. 6. edit. Wechel.*). Nam quis non videt, *formalem causam moralem rationem*, pro *causa formali* venditari? Datur in Efficiente quoque forma caufandi: at quis, nisi ἀπρῶστα διανοίας ad extremum laboraret, efficientem, eò ipsò dum est Efficiens, formalem nuncuparet causam? Denique imputationem sapientum partim, partim ἐνεργείαν morales causæ, eamque tam principalem, quam minus principalem, τὰ καθ' αὐτὸ, quam κατὰ συμβεβηκός, cum forma confundit. Neque est, quod dicat: *honestatem bonæ actionis, esse quandam appendicem resultantem, ex ipsa entitate actionis physicae*, formalem absolvere causam in genere morum. Nam sibi ipsimet sufficienter respondit, dum istam, quam vocat, resultantiam causam ad Efficientem moralem pertinere, largitus est. Forma autem semper contraponitur Efficienti, non secus, atque materia fini. Demum (ut hoc ὡς παροῦσα adjiciam) quid obstat, quò minus & *finalis* in genere morum constitutur causa, quæ Efficientem (quam nos solam in eo genere agnoscimus) ad agendum incitet, atque existimulet? Incommodum hoc ut anteverteret, homo alioquin non humilis animi, ad *impellentem*, reduxit finalem causam. Sed aberrat. Quoniam sicut in physicis causis, finis agenti παραταρμικῶν contradistinguitur, ita in morali quoque. Nam ἀλογον est in causis essentialiter distinctis, finem ad Efficientem reducere: quidni ergò etiam in genere morum, cum juxta Philosophum, τῶν ὁμοίων similis sit ratio, lib. I. Top. c. XVIII. §. II. & lib. II. c. X. §. I.

CAPUT V.

MORALI.
CAPUT V.

§. 1.

NON minor Cōtroversia est, quæ de διαφέσει Efficientis in
Physicam & moralem moveri solet. Cū enim omnis di-
stinctio potior vel συνώνυμῶς, vel ὁμόνυμῶς vel ἀναλόγως sese
habeat, ut ex ipso quoq; Aristotele colligitur, quicquid contra
disputet Vir magnus in *Phil. prim. Diss. III. §. 12. & 13. p. 47.* (sic
ens πολλάχῶς dicitur, καὶ ἔχ ὁμώνυμῶς lib. III. Met. c. II.) di-
spiciendum, quanam ex his tribuenda distributioni Efficientis
causæ in Physicam & moralem. De *Synonymica* seu univoca
dubium non est, eam hic locum invenire non posse, quamvis
id voluerint nonnulli, cū in confesso sit apud omnes, cau-
sam Physicam potiore esse morali. De *Æquivoca* disputa-
tum est. Hanc sequuntur *Stal. in Comp. Met. c. 12. p. 155. in Reg.
Phil. tit. 3. Reg. 16. §. 17. p. 101. quamvis ad analogiam videatur
propensior, Discurs. ad tab. VI. p. 54. Ebelius Comp. Met. Diss.
9. tb. 30. p. 141. & Diss. X. tb. 10. p. 150. Hac, inquit, divisio equi-
voca est, causa enim moralis, ut talis, est, & manet, verum influ-
xum in effectum non habet, indeq; nec verè & propriè dicta causa
est. Analogiam defendunt Ruvio l. c. qui Aristotelem utramq;
causam sub nomine Efficientis intellexisse tradit, p. 184. Hunc
secuti Hornejus *Conclus. Met. D. 4. de Caus. Eff. Conc. 3. Tentzel.
l. c. Diss. 1. §. 17. alij.* Et ultima quidem hæc sententia omni-
bus præferri meretur. Quem in finem observandum est, non
proportionis quandam, sed attributionis ἀναλογίας hic indi-
cari, adeoq; verè Efficientem dici causam moralem, non ὀρεγα-
νικῶς duntaxat, sed & κρείωσ. Nam quòd *Joh. Maccovius lib. 1.
Met. c. 13. p. 147. Heerebord. Mel. Phil. vol. 2. diss. 16. §. 7. alijque
plurimi, impulsivam duntaxat intelligunt, & minùs principa-
lem, ab alijs pridem præfligatum est, cū nec omnis causa im-
pellens extrinseca sit causa moralis, id quod vel sola ἀεὶ κατὰ
ἀεὶ καὶ præsertim apud Medicos, insinuant, de quibus Scheib-
ler. lib. 1. Met. c. 22. tit. 12. n. 136. p. 292. Jac. Martin. lib. 1. Exerc. Met.
4. theor. 5. div. 9. p. 179. neq; omne agens morale, extrinsecò dun-
taxat causam physicam ad agendū instiget, qua de re nos *infra.***

Qualis sit di-
visio Efficientis
in Phys. & mo-
ralem?

§. 2. Quod

DE CAUSA

Non est equi-
voca, sed ana-
loga.

§. 2. Quod a. non æquivoca, sed analogica sit ista causa Efficientis distributio, ῥαδίως, nulloq; negotiō ostendi potest, Enim verò negari nequit, definitionem αἰτίας ποιητικῆς, ad minimum δευτέρως ad causam moralem applicari posse: quod ipso omnis ὁμωνυμία excluditur, quippè quæ secundum Philosophum, nomen quidem rei, non autem λόγον τῆς ἰσίας communicat, *lib. categ. c. 1. §. 1.* quam definitionem Derodon nequicquam vellicat, *Logic. Restit. part. 1. c. 9. §. 2. p. 133. & part. 4. c. 2. §. 8. p. 479.* cui alibi à nobis responsum est. Notum autem est æquivoca dupliciter dici, vel ab uno ad unum, *Zambell. de Constit. Nat. Scient. c. 10. col. 26.* quomodo τὸ ἀνάλογον γενικῶς includit: & ita apud *Porphyr. Isag. c. II. §. 32. Arist. lib. I. Sophist. c. VI. §. 1. lib. IV. Met. c. XII.* Entis ad inferiora conceptus dicitur æquivocus, quam æquivocationem verè analogam censeat Vir excellentis judicij *Scheiblerus lib. I. Met. c. 2. tit. 3. art. 1. n. 33. p. 56.* vel εἰδικῶς, ut contra analogum & univocum distinguuntur. Quæ distinctio proposita est ab Aristotele *lib. VII. Phys. c. IV. tex. 32.* Posteriori modò æquivoca Efficientis in moralem & Physicam appellatur distributio à *Stalio l. c. dist. 4. p. 155.* non secus, atq; ea quando causa in *veram & sine-qua-non* dividitur. Contra quam sententiam argumentamur: Quicquid alicui πρὸς ἓν, καὶ ἀφ' ἑνὸς tribuitur, illud eidem non competit æquivocè. Causa efficiens in respectu ad causam Physicam & moralem est talis. E. Major constat, quia πρὸς ἓν, καὶ ἀφ' ἑνὸς dici, respectum & communitatem vel efficientis, vel finalis importat causæ, *cl. Derodon. Log. Restit. part. 4. c. 2. art. 4. §. 28. p. 486.* Hæc autem κοινωνία æquivocis attribui quæ potest? Minor probatur, quia communio Efficientis causæ ad morale etiam agens extendi debet, nam & ipsum κινήσεως, mutationis & quietis principium rectè dicitur: id quod exempla confulentis, nautæ absentis, imò Patris etiam ex quorundam sententia, satis declarant apud Philosophum *lib. V. Met. c. II.*

§. 3. Unde

§.3. Unde unâ operâ apparet, *veram & propriè dictam cau-* *causa mo-*
sam esse moralem; quod est contra *Ebelium l.c.* Analogia en- *ralis est ve-*
juxta vulgatum illud, non negat veritatem rei. Nos porrò ar- *ra causa.*
gumentamur: Cuicunq; competit causalitas Efficientis causæ,
illud est verè & propriè dictum efficiens. De causa morali verū
est illud. E. & hoc. Minor probatur: Cui attribuitur realis actio,
eidē attribuitur causalitas Efficientis causæ. Causæ morali attri-
buitur realis actio. E. Maj. constat, quia ferè unanimi omnium
Philosophorū, aut certè *μαλιστα γνωρίμων καὶ ἐνδόξων lib. 1. Top.*
c. 1. §. 7. conclusum est consensu, actionem causæ Efficientis es-
se rationem formalem, si excipias unum Bambalionem (*Scali-*
geri verbō utor Exerc. 6. f. 4. p. 29.) *Timplerum lib. 3. Met. c. 2. q. 45. p.*
250. cui abundè responderunt alii. Minorem sic probo: Q. di-
versam à se Entitatem, seu per se, seu per aliud effecto commu-
nicat, illi realis attribuenda est actio. Causa moralis, non
per se quidem propriè, sed per aliud diversam à se entitatem
effecto communicat. E. realis causæ morali attribuenda est a-
ctio. Major vicissim probatur; quia *agere est dare alicui esse,*
non se ipsum, aut propriam suam, sed numero saltem diversam enti-
tatem ipsi exhibendo, vel communicando, iudice acutissimò *Scal-*
lio, Reg. Phil. tit. 3. Reg. 16. n. 4. p. 98. Minor constat.

§.4. Possumus & ex alio principio causæ moralis veritatem a-
struere. Quicquid est principium mutationis aut quietis primū,
illud est vera causa Efficientis. Moralis causa est principium muta-
tionis aut quietis primū. E. Maj. procedit ex illo: Cui competit
definitio eidem quoq; definitum. Hinc definitio & definitum idē
esse dicuntur: *ταυτό ἐστὶ τὸ κατὰ τὸν λόγον ἀποδοθὲν τῷ πράγματι,*
inquit Philosopho *l. VI. Top. c. VI. §. 2.* Min. probo: Consulens, Me-
dicus, est principium *μεταβολῆς*, aut quietis primum. Consulens,
Medicus, est causa moralis. E. quædam causa moralis est prin-
cipium *μεταβολῆς* aut quietis primum. Major est *Aristotelis lib.*
V. Met. c. II. lib. II. Phys. c. III. tex. 31. Minor partim probata est su-
prà, *Cap. II. §. 2.* partim constat, quoniam quicquid interventu
causæ physicæ per motionem realem ad effectum concurrit,
itâ ut imputetur eidem effectus, illud est causa moralis. Atqui
consulens & Medicus itâ sese gerunt. E. C §. 5.

Probatu- i-
dem ex def-
initione Effi-
cientis Ari-
stotelica.

Ex definiti-
one quoq;
aliorum.

§.5. Sed sunt, qui rejectâ Aristotelicâ definitione, tanquam spurriâ, hanc substituunt: *Causa efficiens est principium influens esse per se in effectum*, quam multis parasangis post se relinquere Aristotelicam contendunt. Et si a. difficile non est, objectiones, quas contra eandem adferunt, dissolvere: nolumus tamen & in his, doctissimis hominibus refragari, præsertim cum ab aliis hæc copiosè sint exposita. Assumemus itaque supeditatam definitionem, quæ quidem & ἡ πᾶντα τὰ ὄντα non habet, ἐκ τῆς ἐύμα] Ⓞ. Obvium aliàs est, & protritum axioma: Analoga per se posita, stant in significato famosiori. Unde rectè concludunt, *Stal. Discurs. ad Tab. V. p. 52. Scheibl. in Topic. c. 30. Can. 22. n. 149. p. 507.* in definitionibus earum rerum, quæ secundum prius & posterius sese habent, respectum habendum esse ad perfectissimum quodq;, quod sit mensura cæterorum. Et sanè eò modò Philosophus *lib. III. (al. IV.) Met. c. II. Ens τὸ ἐστὶ ἐν, καὶ μίαν ἑνὰ φύσιν* considerat. Ità *Ἐπιστήμη* ad scientiam *θεωρητικὴν & πρακτικὴν* relata, hanc quidem per posterius, illam per prius respicit. Pari ratione *ἀπόδειξις*, seu Demonstratio, dupliciter ab Aristotele distingvitur *lib. I. Post. c. XIII. §. 1.* in eam, quæ τῆ διότι, & τῆ ὅτι est, ità tamen, ut demonstrationis definitio *lib. I. Post. c. II. §. 5.* proposita, *πρώτως* demonstrationi τῆ διότι, *δεύτερως* applicetur τῆ ὅτι: nisi quis inversò ordine præferendam duxerit τῆ ὅτι, cum doctissimo Medico, *D. Eccardo Leichnero in Apodict. plen. delin. c. V. §. 2. p. 16.* qui tamen & hic humani aliquid, ut sæpè, passus est. Et hoc est, quod præcipit Philosophus *lib. VI. Topic. c. I. §. 3.* accommodandam semper ad melius, non πρὸς τὸ χεῖρον esse definitionem. Ex quibus, si dextrè accipiuntur, elucet, causæ definitionem ab his Philosophis post Aristotelem propositam, primariò causam physicam, secundariò respicere moralem.

Solvitur ob-
jectio pri-
maria.

§.6. At non influit verè, & realiter in effectum. E. nec causa esse poterit, cum omnis causa sit principium communicans esse rei, *Francisc. Bon. spei tr. 2. Phys. disp. 2. dub. 1.* ità, ut esse alterius ex eadem sequatur, *Philipp. à SS. Trin. Sum: Phil: part. 2. q. 8. art. 1. pag. 489. Movit ea res Svarcz. Diff. 16. Met. f. 2. n. 6. Mendozam*

art

Disp. Phys. VIII. f. 9. Ruvionem l. c. Racionis tr. de princip. disp. 2. f. 2. art. 2. Scheibler. lib. 1. Met. c. 22. tit. 13. n. 138. p. 292. Ebel. Disp. Met. 24. f. 2. art. 1. p. 414. Et in Comp. Met. l. c. Stalium in Comp. Et Discurs. ad Tab. ll. cc. Slevogt. Disp. Acad. Pract. VI. §. 6. p. 699. Et §. 16. p. 703. Heerebord Melet. Phil. vol. 2. disp. 17. §. 7. aliosq; ut vel non influere, vel non verè & realiter influere statuerent causam moralem. Respondemus 1. distinguendo inter τὸ influere ἀναλυτικῶς & διαλεκτικῶς acceptum. Priori modò strictissime solum Efficientis Physici designatur influxus: posteriori v. latissime, quamcunq; τὸ εἶναι, in ordine ad rem constituendam, communicationem, sive illud fiat perse, sive per aliud, sive directè, sive indirectè, notat. Hæc, non illa acceptio hujus loci propria est: quâ ratione privatio, quæ & ipsa παχυλῶς causa nuncupatur Philosopho lib. XII. Met. c. II. tex. 12. aliaq; principia, quæ nullum esse in rem influunt, quin imò conditiones quoq; sine quibus non, excluduntur. 2. Causa realis dupliciter dicitur, (1) quando effectum per suam entitatem, non interveniente aliò, producit: quò sensu Viros eruditos, quorum sententiam retulimus, negasse existimo, causam moralem non verè & realiter, eò sc. modò, quò influit Physica, influere. Et ità, qui inter primos causæ moralis contemplationem exactiorem ab interitu vindicavit, Cl. Slevogtius, non uno in loco, causam physicam, ab ea, quæ est in genere morum distingvit, quod illa realiter & verè, hæc reali ad effectum non concurrat influxu, l. c. §. 18. p. 704. Eòdem prorsus modò Homburg. Disp. Met. VII. §. 37. ad causam moralem realem influxum non requiri asserit. (2) Dicitur aliquid verè & realiter influere, quod per se quidem effectum non attingit, aut ad eundem physicè concurrat: verè tamen ad productionem effectus aliquid confert, ità, ut si illud absit, ἐνέργημα adesse non possit. Quâ significatione falsum est, causam moralem κατ' ἀλήθειαν in effectum non influere.

CAPUT VI.

§ 1. Ea de re ut meliùs constet, eausalitatem agentis moralis exponemus. Nam de causabilitate, quam vocat Ruvio in 2.

C 2

De ratione
formali
causæ mora-
lis variæ
Phys. opiniones.

DE CAUSA

Phys. IV. 5. q. 2. n. 16. p. 222. seu de virtute operandi causæ moralis in actu primò, ut magis ad mentem Philosophi loquamur, non est, ut multa ad ostentationem differamus, præsertim cum & tanti res non sit, & non difficulter ex operatione ipsa & ἐν-τελεχεία, ut appellat *Aristoteles lib. I. de Anim. c. 1. tex. 6.* colligi queat. Divortia hic iterum Doctorum observare licet. Alii in *motione tantum Objectiva* causalitatem moralis causæ sitam esse statuunt, ut *Greg. de Valentia tom. 4. disp. 1. q. 13. p. 2.* ubi ad eandem effectum, non nisi quatenus objective movet, consequi docet. Alii *intentionem* seu directam, seu indirectam, sed cum actione aut actus omissione sese exferentem, necessario requirunt, ut *Homburg. Disp. 7. Met. §. 34.* & post eum *D. Petr. Musæus, lib. 1. Met. c. 10. §. 5.* Idem, nisi me omnia fallunt, ante hos sensit *Stal. Reg. Phil. tit. 3. Reg. 12. §. 12. p. 87.* Est, qui rationem ejus formalem in actione morali consistere ait, idq; propterea, quia sicut Causæ Efficientis in genere, causalitas est actio: ita causæ moralis esse actionem moralem. Verùm κατὰ δόξαν hæc, non κατὰ ἀκρίβειαν dicuntur. Nam (1) falsum est, moralem causam semper objective tantum physicam causam ad agendum incitare, cum sæpius adæquatè moveat, impellendo, adhortando, mandando, minis, precibus, instigando. Actio a. (2) moralis, quæ proprie dici causalitas potest, cum hic quæstio ad illud vicissim caput devolvenda sit, in quonam actio ista moralis consistat. Rectè divinus Præceptor: *δεῖ δ' αἰεὶ τὸ αἴτιον ἐκάστου τὸ ἀκρότατον ζητεῖν, ὡσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Οἷον ἀνθρώπου οἰκοδομεῖ ὅτι οἰκοδομῶ, ὁδὸν οἰκοδομῶ κατὰ τὴν οἰκοδομικὴν,* *lib. II. Phys. c. III. tex. 38.* Neq; (3) intentio cum actione, vel omissione conjuncta, si ἀκριβολογεῖν velimus, omne punctum meretur. Enim verò cum causam in genere morum ad eò extendant Eruditi, ut ad illa quoq; que nondum actu sunt, referri queat, quæ dici poterit, illam seu intentionem directam, seu indirectam à causa morali productam esse: præprimis cum detur moralis quæ contrariorum non rarò, & eorum, quæ sunt *παρὰ προδοκίαν*, quàm certò consilio &

prima-

primariâ intentione producendorum, sit αἴτιον. Tùm si concedamus, intentionem ejusmodi & requiri & dari in morali agente, non tota tamē, & universa ejus ratio formalis est absoluta. Utut in aliquib9 à veritate non longè absit hæc opinio. Qua in re id cum primis observandum, intentionem illam nullam esse, aut, ut rectius loquar, saltē non imputari, nisi actu & opere ipsò sese exserat. Quod si namq; Milo v.c. animum & intentionem occidendi Clodium habuerit, neq; tamen illud agendo moraliter, hoc est mandando, cogendo, instigando, executus fuerit, & intereà Clodius in scio Milone ab alio perimatur, quî cædes perpetrata Miloni poterit imputari, cum plenariam causæ moralis actionem non exercuerit Milo?

§.2. Nostra proinde sententia est, ἐπιηδεύουσα moralis agentis in *motione causæ physicae, non principalis duntaxat sed instrumentalis, reali quâcunq;* consistere. Etsi a. magna varietas est specierum, quas causa moralis sub se complectitur, ut propterea vix possit dici, in quo ejus causalitas in communi sit posita, ut loquitur *Cl. Slevogt. l.c. §. 13. p. 702.* apparet tamen ex collatione specierum, in nulla re alia magis, quàm in motione tali consistere. Probatio ejus rei palmaria exinde desumitur: A quo posito moralis causa formaliter & actu dicitur efficiens, & negato non denominatur, id ejus est causalitas. Atqui à motione reali quâcunq;, in ordine ad producendum à causa physica effectum, positâ, moralis causa dicitur formaliter & actu efficiens &c. E. De majori nemo dubitat. Minor inductione, seu ἐπιγωγή constat, quia & principalis, & instrumentalis; per se, & per accidens; directa, & indirecta moralis causa, ab eadem motione denominationem trahit, de quibus speciatim infrâ. Et ab hac tanquam formali & essentiali ratione, ἐπιστάση reliqua omnia excluduntur. Ejus generis sunt *bonitas & malitia, libertas, & arbitrium influentia voluntarium, deniq; effectus imputatio*, quæ omnia à Viro quodam doctissimo, ad rationem causandi primariam referuntur. At v' sic res ipsa cum modo rei, essentialia cum extra essentialibus manifestò confunduntur.

Exponitur
vera sententia.

*Causalitas
moralis causæ
non sita est in
bono & malo.*

§.3. Excipit quidem ille Disp. 1. de Caus. mor. §. 25. effectum
causæ moralis duobus modis considerari posse, vel in genere natura,
vel in genere morum, quæ distinctio est Cl. Slevogti l. c. §. 16. p.
703. Jam, inquit, ubi causa quædam moralis dicitur respectu alicujus
effectus, tunc hic non in genere natura, Sed in genere morum conside-
ratur: adeoq; ex hoc veluti principio colligit primū causalita-
tis requisitum positivum: omnem effectū causæ moralis, moraliter
bonum vel malum esse debere. Resp. 1. At qui hæc conveniunt cum
iis, quæ ipse l. c. §. 3. 7. & 11. asseruit, non tam ab eo, quod morale
quid includat: quam quia in prudentium more & æstimatione
perinde se habet, ac si physicè influeret, denominationem
traxisse causam moralem, quæ verba cum Mendoza Disp. 8. Phys.
f. 9. §. 117. & Slevogtio l. c. §. 5. p. 698. communia habet. 2. sequere-
tur, in actu signato ad Ethicam, non ad Metaphysicam perti-
nere de morali agente tractationem, eò, quòd non Metaphy-
sicus, sed moralium doctor, tum bonitatem, tum malitiam rei,
ex qua resultat laus vel vituperium, ut loquitur l. c. §. 25. præcisè
considerat. Atqui hanc sententiam ipse impugnat §. 11. & §. 12.
apertè en. his verbis concludit: *Constat ex hisce, quòd non Philoso-
phia moralis, sed Metaphysica considerationem causæ moralis, in a-
ctu signato, jure suo sibi postulet.* 3. Adde quòd essentiam, & id
quòd est de essentia confundat: quæ tamen nimium quantum
distant. Risibilitas est de essentia hominis, non a. ipsa & σ. i. a.
Potentia latrandi in cane, rugiendi in leone, mugiendi in bo-
ve, est de essentia eorundem, non a. est ipsa Canis, leonis, bo-
vis forma, Absconditæ en. hæ sunt nobis, adeoq; si ullibi, hic
certè illud obtinet, quòd Scaliger, τρίτον αἴμα διὸς, φάος ἀνθρώ-
ποισι, ut virum laudat Reinesius ὁ πάλιν Epist. XV. ad Hoffm. p. 32.
toties Cardano inclamat: *Sicut vulpes elusa à Ciconia, lambimus
vitreum vas, pultem haud attingimus, Exerc. 307. f. 21. pag. 961.
Circa corticem hic versamur, & nucleam invenire non possumus.
Humi en. nostra repit Scientia, & formarum omnem fermè in mo-
dum nescius est animus, sepeq; cum formam invenisse gloriatur, vix
mijellum est accidens, ait oculissimus naturæ indagator, quem*
Cha-

MORALI

Charites, Musæq; terris ademptum lugent, *Sperlingius lib. 1. instit. Phys. cap. 3. ad Præcept. in gen. p. 73. 4.* Nec καθόλου illud est, quòd in genere morum duntaxat agat moralis causa. Nam quòd in genere morum tale est, illud vel bonum vel malum, adeoq; laude, vel vituperiò, meritò vel pœnâ dignum est, *Slevogt. §. 16. l. c. pag. 703.* Atqui dubium cum primis est, omnem actum moralis causæ, qua talis est, semper aliquid, quod laude, vel culpâ sit dignum, continere. Nam dum jentaculum aut merendam comedens, suò exemplò alium movet, ut is etiam edat, quod alioqui facturus non erat, moraliter agit. At nihil hic, quod laudem vel vituperium mereatur, conspicitur. Quod ait Vir doctus *l. c.* moralitatem illam ab eo ostendi posse, quia *cibus alteri, qui ad edendum movetur, vel proficius est, vel non;* parum est πρὸς ἐπιθυμίαν quandoquidem nec ex parte moventis, nec ex parte moti, vel bonitas, vel malitia intercedit. Illud non est, quia movens edendo nec bonus nec malus est: neq; hoc quia factum nec laude, neq; vituperio dignum est: non secus, atq; in vita communi, unò suspirium & halitum ducente, ducit & alter, cum tamen nulla subsit moralitas. Ita de cithara referunt docti, quod chorda pulsata, chordam aliam non pulsatam secum in sonitum trahat, si tensa fuerit sibi consonè. Ergò qui pulsat chordam chordæ alteri consonam, causa quadantenus est moralis, in ordine ad sonitum alterius chordæ. Quænam a. hic bonitas, quænam malitia? Nisi quisquam ad occultas qualitates, atomos, aut amorem corporum inter se mutuum (συμπάθειαν vocant Græci) tanquam ad portum alicujus analogicæ bonitatis, confugiat, de quo tamen disputant celeberrimi Jesuita *Kircherius, Mersennus, Keplerus lib. 3. Harm. mund. c. 1. p. 14. Thom. Campanella*, qui sensu, ut alià ferè omnia, id fieri existimat, opere mirabili, *de sensu Rer. lib. 4. c. 10. p. 101.* in quarum opinionum veritatem libro Singulari de *Magia Poetica*, olim si DEO, doctisq; visum fuerit, in lucem exponendo, anquisivimus. Accedit deniq; 5. quòd ne proprium quidem illud requisitum sit Causæ moralis, cum & phy-

fica

DE CAUSA

fica causa quæ talis, actiones morales non interveniente morali producat, id quod experientiam cognitum atque observatum est.

Neg. in voluntario & lib.

§.4. Ratio a. *voluntarij & liberi*, in qua alterum causalitatis requisitum ponit, pari ratione admodum vacillat. Nam ea quæ plerumque in esse subjecti influunt, causalitatem causæ non absolvunt, nisi semper eodem sese habeant tenore. At v. negari non potest, causam moralem plerumque duntaxat causam physicam liberè movere. Quæ influxus ille voluntarius causæ moralis essentialis erit requisitum. Adde, quod formalis ratio, quæ dat distinctionem causæ, à quavis re alia, non nisi una esse possit; non aliter atque ad speciem constituendam, non plures, sed una requiritur forma. Unde & in simili negotio falluntur, qui tres in homine, & quidem realiter distinctas ponunt formas, quorum sententiæ, qui *Aristotelem* annumerant, oppidò cecutiunt. Aliud sanè expressi toties textus, de una in homine forma evincunt. Legatur *lib. II. de An. c. III. tex. 27. 30. 31.* Sed nunc hoc non agimus.

Neg. in effectus imputatione.

§.5. Demum *effectus imputatio*, essentialis potius est consequens, quam ipsum *vi est* moralis causæ. Jam verò *juxta numerum prædicatorum essentialium, non sunt numeranda & multiplicanda forme essentielles, tanquam realiter diverse in eadem specie*, inquit subacti Virjudicii *Scheiblerus*, *lib. I. Met. c. 22. tit. 22. art. 3. punct. 2. n. 283. p. 313.* Quantumvis igitur eandem penitus non negemus, sed potius tanquam *ἐπισηµωδες* aliquod necessariorè requiramus, referenda tamen eò ipsò non est ad ea, quæ *ἁπλως* rei constituunt, ita ut imputatio & motio (quæ ut forma, & consequens rei differunt) unum dicantur & idem in genere moralis causæ. Itaque qui probat dari aliquod animal in rerum natura, quod sit homo, non propterea hominem dicit, quia est risibilis, sed quia est rationalis. Qui enim potentiam ridendi homini attribuit, formam hominis nondum dixit, quia datur aliquid prius, quod ejus esse constituit. Et tamen nihilo secius *ἐξ ἀνάγκης* risibilitas in homine requiritur. Agnovit

agnovit

MORALI.

gnovit hæc Vir Eruditus *Disp. 2. §. 23.* unde rectè negat, omnem talem imputationem causam statim facere moralem: *potius, inquit, ad hoc requiritur, ut fundamentum imputationis sit actio, vel motio moralis.* Quæ ipsa liquidò sententiam nostram confirmant.

CAPUT VII.

§. I. Ex hæc tenùs dictis, de distinctione Moralis causæ, tum à cæteris, tum à Physica causa, non adeò difficile erit judicare. Discrimen cause Physicæ & moralis, tum ratione influxus, tum ratione necessitatis. Nam Physica per propriam Entitatem in esse alterius influit; causa moralis ἐμμέσως per alienam. Atq; inde est, quod Physica causa sæpè absq; morali, moralis nunquam sine physica aliquid præstare & efficere possit *Cl. Slevogt. l. c. §. 9. p. 700.* Adeoq; verum quidem de causa morali illud est Poetæ:

Alterius sic

Altera poscit opem res, & conjurat amicè, Art: Poet. v. 415.

Sed non vice versâ de Physica. Nam absente nauclerò, tanquam causâ navis submergendæ morali, non statim perit navis, nisi intercedat causa physica, puta maris, procellarumq; intemperies, quæ præsentè quoq; gubernatore navi confringendæ sufficit. 2. In necessitate, idq; διάνοια: (a) ratione existentia, ità ut causalitatem suam moralis exercere possit, ut vel nondum, vel non amplius existat, id quod causæ physicæ attribuere, est jungere vulpibus hircos. Ratio est, quia illa in effectum non in genere naturæ, sed in suo, hoc est morum genere concurrat, ad quod ἀρχή, si ità sese gerat, ac si existat. Ità passio Salvatoris nostri salutem Adamo, aliisq; Patriarchis operata est, quoniam una est σωτηρία *Act. 4. 12. c. 15. v. 11.* Physica a cum suò modò influat, necessariam sui requirit existentiam. Nam modus rei Physicus non potest existere, nisi existat res ipsa cujus est modus, inquit *B. Slevogt. §. 8. p. 700.* quod adeò manifestum putat esse, ut qui probationem desideret, ἀπρωσία mentis laborare videatur, §. 68. p. 724. Vnde Philosophus noster alicubi ait: Τὰ μὴ ὄντα, πῶς αὖ φθέγγεται, ἢ βადισει; Negq;

D

Negq;

DE CAUSA

Neq; tamen exinde inferendum, esse non-Ens ipsam moralem causam, hoc est, purum & merum nihil negativum, eò quod actu non existit, uti aliàs de Entibus *διυδαμει* visum est magnis Philosophis: aliàs non-Entis nullæ essent affectiones, nullæ operationes: imò v. de fine idem foret dicendum. Sed de his alia est disputatio. (β) ratione *operationis*, quò modò nunquam necessariò agere moralem causam autumant, cùm indifferentia ad actionem liberam & necessariam, in physico agente reperiatur tantummodò. Quæ & ipsa cum grano salis accipienda, præsertim si moralis causæ, quæ actu nondum existit ratio habeatur.

Deniq; ratione subordinationis.

§. 2. Distingvuntur deniq; à se invicem causa physica & moralis, 3. in *subordinatione*: τῆς ἐν in concursu plurium causarum sibi invicem non subordinatarum. Nam morali non repugnat multiplicatio, in iis quoq; ubi ad effectum vel unica sufficit motio: Physica a. totaliter multiplicata, ad unum præcise effectum, ordinarie non concurrit, nisi quando subordinatio, aut societas causarum datur naturalium. Ità ad homicidium plures quandoq; concurrunt causæ morales, sibi invicem minimè subordinatæ, puta crudelitas, vindicta, odium, avaritia, & alia hujus generis. Et hæc ratione contradictionem simpliciter non implicat, unam eandemq; causam in ordine ad eundem effectum, moraliter & physicè simul agere posse. Nam quod *Stevogt. l. c. §. 10. p. 701. ἐξ ἀδυνατῶν* illud esse contendit, errat. Sit *παράδειγμα*. Lædit quis per ebrietatem alium; quæro utrum physicè duntaxat egerit, an moraliter simul? Respondetur, & physicè & moraliter egisse, illò modò, quatenus influxu physico ad læsionem concurrat: hoc v. quatenus per ebrietatem eò adactus est, ut committeret, quæ aliàs non commisisset, si ebrius non fuisset. Distingvendum proinde est inter diversa causarum genera, & diversa principia, ut eleganter alii ante me annotârunt. Hæc ad effectum producendum utròq; respectu, & physicè & moraliter sufficiunt. Quod a. in ordine ad diversos effectus illud concedit

cedit

MORALI

cedit *Slevogtius l.c.* nihil ad rem præsentem facit. Nam si diversus est effectus, quomodo idem rationem causæ & moralis & physicae πρὸς ἐν habeat, siquidem causa refertur ad id, cuius est causa, non aliter atq; scientia, θεσις, διάθεσις, & alia juxta Philosophum in *Categ.c.VII. §. 2. ἐτέρων νεῖαι λέγονται*. Sed hæc uberius infra exponemus.

MANTISSA,

I. Errat *Timplerus*, Vir (elogiò *Goelenii*) magnò ingeniò, accriq; judiciò præditus, quando *lib.I. Met.c.III. Probl. 6 p. 32. E...*, tanquam genus, rectè in Ens reale & rationis dividi, asserit. Est en. mera æquivoci in æquivocata sua distinctio. Genus autem esse, & dicere æquivocum, se mutuò evertunt. Secundum Aristotelem namq; λέγεσθαι γένος, ὁ ἀμφοὶ τὸ αὐτὸ λέγονται κατὰ τὴν οὐσίαν τὰ διάφορα, *X. Met. c. III.* Quænam v. inter Ens reale, & rationis οὐσίας communio? Nulla.

II. Fallitur *Scheiblerus lib.I. Met. c. XIV. tit. 2. art. 4. n. 51. p. 179.* dum non sensitivam duntaxat, & appetitivam; sed & motivam δύναμιν, ad potentias μετὰ λόγῳ refert, propterea, *quia partuntur se regulari ad imperium voluntatis*. Nam hæc ratione potentia ignis, quæ irrationalis est, rationalis erit, per ordinationem ad imperium voluntatis humanæ. Quod ἀτοπον.

III. Subtile nimis est, quod ait humanioris literaturæ Sospiator, *Gerard. Vossius*, genus potiùs partem speciei, quàm speciem generis esse, *lib. IV. instit. Orat. c. VIII. p. 152.* Quod si en. hoc verum est, ut ille disputat, & istud verum erit, totum partis esse partem, quoniam genus toti, species respondet parti, non diffidente *Vossio*. Id quod ἀλογον esse, qui non videt, Saturnias lippiat oportet lemas.

IV. Frustra est *Schoockius*, Philosophiæ apud Groningam Professor, *Colleg. Log. Diss. XIV. tb. 18. p. 269.* ità tropum in Copulam cadere, existimans, ut dicamus *ipsam copulam tropologicè posse affici à parte predicati, ità tamen ut ipsum Predicatum vera propria sedes maneat.* Quid enim hoc est dicere, nisi copulam esse & non esse tropologicam: esse & non esse Copulam?

DE CAUSA

V. An DEO addi possit aliqua causa impulsiva ab extra? disputatum est. Negat Heerebord, Vol. 2. Mel. Phil. Diss. XVI. p. 242. eamq; opinioem, quam Theologi communiter sequuntur, ob humanae mentis in divinis imbecillitatem, & linguae balbutientiam haecenus toleratam scribit. Falsò. Nam de sceleribus & flagitiis humanis quis inficias ibit, ea ad vindictam Deum *περὸν ἀποκρίνωσ* commovere & impellere? De merito Servatoris nostri Opt. Max. de miseria humana, aliisq; idem esto iudicium.

VI. Frivola & nauci est Dav. Derodonis collectio; dependentiam effectus à causa accidentalem, non verò essentialem esse, propterea, quod aliter evenire potuisset, si Deus voluisset. Deus en. inquit, poterat producere Paulum, qui fuit filius Petri, ante ipsum Petrum: poterat enim unire omnes atomos, corpus Pauli constituentes, & ipsum corpus Pauli unire animae create, ante nativitatem Petri, in *Metaphys. part. 1. c. 2 §. 11. p. 71.* Sed potentiam Dei absolutam cum ordinata, rò esse, cum rō posse, confundit. Deinde impossibile est effectum adesse, nullà praeistente sui causâ: aliàs aut non esset effectus, aut totò genere nobilior esset suâ causâ. Adde, si essentiâ numericâ saltem à suo causato distinguitur causa, ut docet Derodon l. c. c. 3. §. 2. pag. 74. quomodo accidentalis effectus à causa erit dependentia?

VII. Est, qui contra B. Scharffium ita argumentatur, *Diss. de Pot. Obed. §. 40. Q. est potentia obedientialis, praeter suam naturam alterius efficaciae subijci potest. Quoddam quod est in Deo, est potentia Obed. E. quoddam, quod est in Deo, alterius efficaciae subijci potest.* Utraq; praemissarum, ut isti videtur, B. Scharffii est, & tamen conclusio emergit absurda. At enim verò injuriam apertam optimo facit Philosopho. Ubi en. Minor propositio apparet in *Met. Exempl. lib. 2. c. 4.* Ubi dixit Scharffius Potentiam obedientialem cadere in Deum? Contrarium sanè ex eo loco apparet, ubi potentiam obedientialem, propterea quod passiva sit, Deo competere negat.

CAP.

Coll. diss. A. 122, misc. 55